



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

**Parisiis, 1644**

XXIX. De emunitate ecclesiarum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15653**

XXVIII.

*De baptismo.*

Baptismus cum summa reuerentia celebretur, maxime in distinctione & prolatione verborum, in quibus sacramenti virtus existit; his scilicet verbis: Ego baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Doceant igitur sacerdotes tam mares quam feminas, in necessitate debere [illos] paruulos baptizare eadem forma in suo idiomate. Et, quod patres & matres proprios infantes, si summa necessitas exigat, poterunt baptizare. Et, si sacerdotes super hoc diligenter requirentes debitam formam in baptismo inuenerint, quod factum est, approbent, supplentes circa baptizatum, quoad vnctionem olei in pectore & in scapulis, & chrispatis in vertice, quod a laicis est omissum. Si autem in baptisinate debitam formam non inuenerint obseruatam, non differant paruulos baptizare.

Item statuimus, vt in cunctis ecclesiis baptismus, chrisma, oleum & eucharistia sub fideli custodia clauibus adhibitis asseruentur, ne possit ad illa manus temeraria extendi. Pallæ quoque altaris, vasa, corporalia & vestimenta ministrorum munda & nitida conseruentur. Nimis enim videtur absurdum in sacris sordes negligere, quæ decent etiam in profanis.

XXIX.

*De emunitate ecclesiarum.*

Quamquam dudum ecclesiarum aduocati, vt ab indebitis vexationibus earum abstineant, & consuetis iuribus sint contenti, saluberrimis monitionibus antiquorum Conciliorum sint causati: quia, cum plerique domini temporales, & laici alii prouinciæ Saltzburgensis, in ecclesiis, monasteriis, seu quibuslibet piis locis, in quibus ius aduocationis prætendunt, suis iuribus non contenti, inconsuetas & enormes nouitates exercent, attentant in ecclesiæ libertatem non modicum detrimentum. Nos huic morbo occurrere cupientes, auctoritate huius Concilii statuimus, ne aduocati ecclesiarum, monasteriorum, & aliorum piorum locorum quorumcumque



dictæ nostræ prouinciæ, quocumque etiam nomine cen-  
seantur, de cetero talia præsumant; nec ecclesias, mona-  
steria, & alia pia loca, vltra consueta & debita onera vlla-  
tenus aggrauent & infestent, quocumque quæsito colo-  
re. Alioquin ipsos, & eorum quemlibet, auctoritate hu-  
ius sacri Concilii excommunicationis volumus sententiæ  
subiacere ipso facto, a qua, donec de huiusmodi indebi-  
te extortis ac illatis violentiis ecclesiis, monasteriis, atque  
locis aliis piis, competenter satisfecerint, nullatenus ab-  
soluantur.

Abusum quoque, seu consuetudinem quorumdam lai-  
corum, imo potius corruptelam sacris Canonibus & legi-  
bus inimicam, quam quidam iudices & potestates sæcula-  
res ad instantiam se præcedentium habere \* auctores con-  
tra prælatos ac clericos beneficiatos nostræ prouinciæ,  
seu etiam contra tales ex officio procedentes, licet de fa-  
cto, ipsos prælatos ac beneficiatos in bonis immobilibus  
spectantibus ad ecclesias, monasteria & beneficia eorum-  
dem, quasi quodam citationis edicto publico solent ad iu-  
dicium euocare, licet nulliter & de facto, allegantes, quod  
non contra clericos, sed ipsorum bona dumtaxat iudicent  
& procedant: non attendentes, quod clerici & clericorum  
bona eodem gaudent priuilegio, & nulla sit eis de rebus &  
personis ecclesiarum attributa iudicandi facultas. Nos  
hanc consuetudinem, sacro approbante Concilio, peni-  
tus reprobantes, decernimus, præfatam consuetudinem  
fore iniquam, rationi & iuri penitus inimicam: statuen-  
tes sub pœnis præmissis, quas contra facientes incurrere  
volumus ipso facto, vt nullus, cuiuscumque status, con-  
ditionis aut ordinis existat, etiam si pontificali aut ducali  
præfulgeat dignitate, præfatam reprobam consuetudi-  
nem obseruet, aut obseruari faciat, nec ipsius prætextu per-  
sonas ecclesiasticas prædictarum diœcesium in ipsorum  
bonis & possessionibus perturbare, inquietare aut iudica-  
re præsumat: decernentes irritum & inane, si secus con-  
tra præmissa a quoquam fuerit attentatum, sententiasque  
latas licet de facto ac . . . . . impossibiles, cum om-  
nibus inde secutis nullius existere roboris vel momenti.